

# NOVUM TESTAMENTUM GRAECE ET LATINE

curis elaboratum



LIBRERIA EDITRICE VATICANA

# **NOVUM TESTAMENTUM**

**GRAECE ET LATINE**

**APPARATU CRITICO INSTRUCTUM EDIDIT**

**AUGUSTINUS MERK S.J.**

**EDITIO UNDECIMA**



**ROMAE**

**SUMPTIBUS PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI**

**1992**

# SCRIPTA PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI

65

editio prima	anno 1933
editio secunda	anno 1935
editio tertia	anno 1938
editio quarta	anno 1942
editio quinta	anno 1944
editio sexta	anno 1948
editio septima	anno 1951
editio octava	anno 1957
editio nona	anno 1964
editio decima	anno 1984
editio undecima	anno 1992

## IMPRIMI POTEST

Romae, die 30 aprilis 1991

R.P. KLEMENS STOCK S.J.  
Rector Pontificii Instituti Biblici

OMNIA IURA RESERVANTUR

© 1992 - Editrice Pontificio Istituto Biblico  
Piazza della Pilotta, 35 - 00187 Roma

ISBN 88-7653-597-7

# Codices secundum ordinem apparatus

de numeris et signis cfr. pag. 38\*-47\*

## Codices Evangeliorum

- H** BSCΨ(Mc-J) Z(Mt) 33 L 892 579(Mc-J) Δ 1241  
T(LJ) 054(J) 059(Mc) 060(J) 065(J) 070(LJ) 078  
(MtLJ) 083(J) 084(Mt) 085(Mt) 099(Mc) 0112(Mc)  
0124(LJ) 0125(J) 0139(L) 0162(J) 0177(L) 0178(L)  
0179(L) 11596 P1.4.5.22.28.39.45.52 | W(MtLJ) |
- D** D v1 syv syhm (P<sup>25</sup>) |
- Ca** W(Mc) Θ 700 372 (Mt-L) 565 28 399 (Mt) 21 544 1542  
(McL)-1654(Mc) 1342(Mc) 067(MtMc) 0188(Mc) P<sup>37</sup> |
- Cη<sup>a</sup>** 1 1582 2193(Mc-J) | η<sup>b</sup> 872(Mc) 22 118 209 131 (McL)
- Cι** 13 788 69 174(Mt) | 1689 983 | 826 543 346 230 828 |  
124 |
- Cφ<sup>a</sup>** 1424 517 1675 954 349 1188(J) | φ<sup>b</sup> 7 267 659 1606  
(Mt-L) 1402(MtMc) 1391(MtMc) 115 179-827-1082  
(Mc) 185(J) | φ<sup>c</sup> 1293 1010-1223 945 1207(LJ) 990 |  
φ<sup>r</sup> M 1194 27(MtMc) 71 692(Mc) |
- Cβ<sup>a</sup>** 348 1279 477 | β<sup>b</sup> 1216 1579 16 1588(MtMc) |
- Cο** UX 213 1071 2145 1574 443 1321(J) |
- Cπ** Σ(MtMc) Φ(MtMc) N O(Mt) |
- Cσ** 157 713 1012 245 291 235(J) |
- Cι** Γ 047 1295 273 4 998 472 1515(MtMc) 1093 1604 1355  
1396 1047-1038(McL) 660 251 2430 1229(L) 716(L)  
485 440 162 1170(MtJ) 495(Mc) 1242(J) PQ(LJ)R(L)  
064(Mt) 074(MtMc) 079(L) 090(MtMc) 0106(Mt) 0116  
(Mt-L) 0130(McL) 0131(Mc) 0138(Mt) |
- Kx<sup>a</sup>** Α KΠΥ 1346 1219 265 489 | x<sup>b</sup> 270 1375 1200 726 |  
x<sup>c</sup> 280 229 482 473 1354 |
- Kι** Λ 1187 262 1573 1555 545(Mt) |
- Kι** V 461 Ω 399(Mc-J) 028 655 661 476 | Ξ(L)X<sup>b</sup> | **Kι**  
EFGH |

Comment. in J Cyrilus 850 1820 | C (anonym.) 397 0141  
869 138 994 821 | Nicetas 249 430 317 743 423 |

## Codices Actuum

- H** BSCΑΨ 33 104 326 81 1175 048 076 096 0165 0175  
G P<sup>45</sup> |
- D** DE P<sup>38.41.48</sup> 1) 1611 1108 2138 1518 1245 | 614 2147  
383 257 913 1765 255 378  
2) 1891 242 522 206 1758 1831 429 536 491 | 1739  
2298 323 440 216 066  
v1 syv(Ef) sa Ip Lcf Ambst Aug |
- Ca<sup>1</sup>** 917 1874 1898 181 88 915 1829 431 307 36 610 453 |

**a<sup>3</sup>** 623 5 1827 1838 467 1873 927 489 2143 |  
**a<sup>3</sup>** 920 1835 1845 919 226 547 241 1319 256 38 1311 436  
1837 808 642 218 1 209 460 337 69 794 1525 1522 |  
**K** LPH |

*Codices Paulini*

**H** P<sup>44</sup> BSCA 1739 6 424<sup>c</sup> 1908 33 PΨ 104 326 1175 81  
1852(R) HIM(1 2 CHb) 048 062(G) 081(2 C) 082(E)  
088(1C) 0142 P<sup>10,13,15,16,27,30,40</sup> |  
**Ca<sup>1</sup>** D(E)G(F) 917 1836 1898 181 88 915 1912 |  
**a<sup>2</sup>** 623 5 1827 1838 467 1873 927 489 2143 |  
**a<sup>3</sup>** 920 1835 1845 919 226 547 241 1 460 337 177 1738  
321 319 69 462 794 330 999 1319 2127 256 263 38  
1311 436 1837 255 642 218 |  
**Cb<sup>1</sup>** 206 429 1831 1758 242 1891 522 2 635 941 1099 |  
**b<sup>2</sup>** 440 216 323 2298 1872 1149 491 823 35 336 43 |  
**Cc<sup>1</sup>** 1518 1611 1108 2138 1245 2005 |  
**c<sup>2</sup>** 257 383 913 378 1610 506 203 221 639 1867 876 385  
2147 |  
**K** KL |

*Epistulae catholicae*

**H** BSCA 323 1739, 2298 424<sup>c</sup> 33 PΨ 104 326 1175, 81  
048 056 0142 0156(2P) P<sup>20,23</sup> |  
**Ca<sup>1</sup>** 917 1874 1829 1836 1898 181 88 915 431 307 36 610  
453 |  
**a<sup>2</sup>** 623 5 1827 1838 467 1873 927 489 2143 |  
**a<sup>3</sup>** 920 1835 1845 919 226 547 241 1 209 460 337 1738  
69 794 1525 1522 1319 256 38 1311 436 1837 808  
642 218 321 384 |  
**Cb** 206 1758 429 1831 242 1891 522 440 216 |  
**Cc<sup>1</sup>** 1518 1611 1108 2138 1245 1852 |  
**c<sup>2</sup>** 614 383 2147 913 1765 255 378 |  
**K** KL 42 398 |

*Apocalypsis*

**H** CAS 2344 P<sup>47,18,24</sup> 0169 0207 |  
**M** P 2329 2351 219 (1) | Q 69 61 | 1854 1611 | 1006 1841  
240 | 94 254 |  
**O** F 262 253 258 220 280 1778 1678 |  
**An<sup>1</sup>** 259 281 181 1 2186 2259 1 598 260 2302 2286 | 257 226 265  
2 E 223 231 256 273 | 209 205 245 |  
2 214 215 234 236 243 282 1876 247 274 237 1732 242 |  
4 267 251 255 264 743 |  
6 228 229 233 244 254 283 |  
**Ar** 314 216 664 1094 275 | 91 175 242 617 256 | 217 792 250 |

(1) In apparatu Apocalypseos scribitur 219 loco 2019 et ita porro.

**PO** 172 <sup>2</sup>18 1888 1862 | 616 <sup>2</sup>84 250 424 |  
**An<sup>r</sup>** 104 459 680 922 | 336 628 582 620 |  
**K** 469 82 93 699 | 110 627 <sup>2</sup>48 |  
**K<sup>1</sup>** 385 429 1955 522 2349 | 18 <sup>2</sup>39 1835 2200 2138 |  
    141 935 1728 1734 |  
    <sup>2</sup> <sup>2</sup>27 920 1872 1859 | 808 386 149 368 201 1597 | 180  
    337 177 |  
    <sup>3</sup> 452 203 506 42 367 | 325 517 456 |  
**K<sup>c</sup>** 35 60 432 1957 824 757 <sup>2</sup>61 986 1075 2352 1740 |

### Codices Vulgatae

*Evangelia:* 1. SAYFH\* MPOX\* ZEP\* St familia italica

2. BBeIJUGMa familia gallica

3. DELQRHe familia insularis (hibernica)

4. KV codices Alcuini

5. H<sup>e</sup>Th codices Theodulfiani

6. CT codices hispanici | W

*Actus:* 1. GCAF D Codices sunt variarum regionum et saepius in varias partes abeunt.

2. IMSUTO 3. KBVR Th 4. W

*Paulus:* 1. AFDGHL M MORU WiZ

2. CT 3. Th KBV

*Epistulae catholicae:* 1. AFDGHJM Z 2. CT 3. BV

*Apocalypsis:* 1. AFDGJM Z 2. C 3. BV

### Signa et Abbreviationes

- D\* prima manus, D<sup>p</sup> manus posterior
- D<sup>c</sup> correctores
- B<sup>r</sup> tota recensio H (aegyptiaca)
- I<sup>r</sup> tota familia C<sub>η</sub>
- I<sup>s</sup> sola classis C<sub>η</sub><sup>s</sup>
- B-545: omnes codices a B usque ad finem K<sup>r</sup>, uno alteroque forte excepto; Bs: B et sequens, Bss: B et duo seq.
- 348 rel.: omnes codices a 348 qui enumerari solent.
- + addit, addunt
- 1<sup>—</sup>2 omissio ex homoeoteleuto
- > omittit, omittunt
- ~ ordinem invertunt
- (B) B cum aliis quoad substantiam convenit, sed in levioribus discrepat
- \* lectio in apparatu sic notata aequa aut fere aequa probabilis est ei quae in textu legitur
- pr. praemittit,-tunt; inc. incipit versus
- al. alii
- rel. reliqui
- pl. plerique
- m. multi

vl	vetus latina; vl(-a) omnes codices vl excepto a
vg	vulgata
lat	versiones latinae
sy	vers. syriacae, in a et p sy significat syp et syh
syc	syrus curetonianus
sýs	syrus sinaiticus
syv	syra vetus, syc et sys
syp	syra pešitta
syi	syropalaestinensis
syh	syra harclensis
syh*	eiudem lectio, si in margine alia lectio
syhm	lectio marginalis
syh <sup>+</sup>	lectio in textu asterisco notata
syf	textus a J. Gwynn editus in Ap et epistulis cath. minoribus
sy <sup>3</sup>	= syvph
sy <sup>4</sup>	= syvpih
ar	versio armenia, ar <sup>v</sup> armenia vetus
ar <sup>m</sup>	cod. mosquensis, ar <sup>e</sup> cod. Etschmiatzin 229
Apoc.	ar <sup>1</sup> Conybeare, ar <sup>2</sup> Zohrab, ar <sup>3</sup> Nerves
gg	versio georgica
sa	versio sahidica
bo	versio bohairica
co	versiones copticae sa et bo
ach	vers. subachmimica, in J sa <sup>+</sup> est sa + ach, similiter bo <sup>+</sup> co <sup>+</sup> .
vg <sup>1</sup> sy <sup>1</sup>	etc. lectio non ab omnibus codicibus tradita
D'F'G'	si in his codd. paulinis graeco-latinis solus textus graecus lectionem aliquam testatur.
g <sup>1</sup>	est una ex versionibus <i>latinis</i> codicis paulini G
Tert <sup>1</sup>	Tert, si non semper eadem lectio.
Hiero	si Hier loquitur de codicibus qui hanc lectionem tradunt.
codd.	in apparatu latino, si omnes codices qui in appa- ratu allegari solent a textu clementino recedunt.
O' =	LXX, additur locis parallelis VT <sup>1</sup> , si allegatio ad versionem graecam magis quam ad textum hebrai- cum accedit, e. g. Hb 8, 2.
'	in textu indicat initium versiculi, si interpunctio est aliquomodo incerta aut nulla.

### Libri sacri

Gn Ex I.v Nu Dt Jos Jdc Ru 1 2 Sm 3 4 Rg 1 2 Par  
 Esd Neh Tob Jdt Est Job Ps Pr Eccl Ct Sap Sir Is Jr Lam  
 Bar Ez Dn Os Jl Am Abd Jon Mi Na Hab So Agg Zch  
 Ma 1 2 Mach  
 Mt Mc L J A R 1 2 C G E Ph C 1 2 Th 1 2 T Tt Phm  
 Hb Ja 1 2 P 1 2 3 J Jud Ap.

**IOHANNI PAULO II  
SUMMO PONTIFICI  
FILIALIS OBSEQUII  
ET  
GRATI ANIMI  
PIGNUS**

## PRAEFATIO AD QUINTAM EDITIONEM

Quinta haec Novi Testamenti editio a quarta in paucis differt. Sola Apocalypsis profundius retractata est. Praeterea in indice Corrigendorum aliqua adduntur. Quoniam autem in editione quarta permulta mutata sunt, praefationem huius editionis paucis mutatis iuvat denuo perscribere.

Recensiones et familias ab Herm. von Soden stabilitas aliquomodo retinuimus, cum multa recte definita sint, quod Sanders, Kirsopp Lake, Blake, S. New, alii suis inquisitionibus comprobaverunt. Alia vero emendatione indigent et historia textus magis illustrata emendari possunt. Etiam de indole quorundam codicum iure disceptari posse facile concedimus.

A recensione palaestinensi (**C**) in evangeliis et Actibus separavimus codicem **D** cum suis asseclis, eique secundum locum attribuimus, et in Actibus integras familias **C<sub>b</sub>** et **C<sub>c</sub>** eidem adscribimus, quamvis non omnes codices semper lectiones **D** proprias tradant. Familias **K<sup>x</sup>** et **K<sup>r</sup>** cum recensione Koine coniungimus, quia **K** in ipsis valde praevalit. In recensione **H** codices qui magis ad **K** accedunt ad finem relegavimus, codices vero 1739 6 424<sup>c</sup> 1908, qui maiorem inter se affinitatem habent, immediate post codices principales posuimus. Codex **X**, qui saepissime cum 213 congruit, suum locum iam habet in familia **C** ante 213. Codicem evangeliorum 1342 (Jerusalem, S. Saba 411), ex quo von Soden alias lectiones commemorat, secundum collationem a S. New factam (Harvard Theol. Studies XVII, Cambridge 1932) in evangelio Marci allegamus. Lectiones praecipuae capitum 1-7 inveniuntur in Appendice. Codex est indolis mixtae, habet enim multas lectiones cum **B**, sed non minus frequenter cum **C** congruit. In apparatu legitur in familia **C<sup>a</sup>**.

In apparatu critico quantum fieri potuit, familiae ordinantur secundum fidelitatem, qua exhibent earum archetypos.

In apparatu evangeliorum allegationes ex *harmonia Tatiani* magnopere auctae sunt. Cum mihi constet ex consensu veteris syriacae et veteris latinae plerumque lectionem primitivam restitui posse, has versiones constanter allegavi. Praeterea commentarium S. Ephraem secundum textum armenum denuo comparavi et alios scriptores syros, Aphraaten, Librum Graduum, versionem syriacam Theophaniae Eusebii consului. Deinde accedunt harmoniae *neerlandicae* a Bergsma et Plooij-Phillips editae, quarum altera copiosissimam materiam proponit. Allegantur codices leodiensis et stuttgartianus. Harmonias vero *italicas* a V. Todesco et A. Vaccari recenter editas (Il Diatessaron in volgare italiano, Studi e Testi 81, Città del Vat. 1938) iuxta suam duplicem formam, venetam et toscanam, semper inspeximus et constanter laudamus. Uterque enim textus, quamvis codices sint saeculi demum 13-14, multas lectiones veteres conservavit. Alia non pauca recenter investigata e. g. harmonia pepysiana et persica<sup>1</sup> propter spatii angustias omissa sunt.

Apparatus *Apocalypses* novas mutationes easque non leves subiit. Examinato denuo magno opere Hoskier et ratione habita inquisitionum quas J. Schmid instituit, ordo familiarum earumque distinctio aptior proponitur. In recensione **H** primum locum obtinent codices **C** et **A**, deinde **S** et 2344, qui recenter a Schmid denuo in lucem eductus est, cum **P<sup>47</sup>** et fragmento 0207. Codicibus indolis mixtae, illis maxime qui lectiones veteres frequentius exhibent, proprium locum tribuimus (**M**). Sequitur textus *Oecumenii* (**O**), qui antiquior est *Andrea* et retinet non paucas lectiones veteres, textus *Andreae Caesareensis* (**An**), textus ex **An** et **K** mixti, *Arethae* (**Ar**), *Pseudo-Oecumenii* (**PO**) et **An<sup>r</sup>**, tandem recensio **K** cum codicibus complutensis **K<sup>c</sup>**.

In evangeliis **Mc**, **L**, **J** additi sunt in margine externo typis cursivis sectiones et canones Eusebii, ad **Mt** inveniuntur in fine.

---

<sup>1</sup> G. MESSINA S. J., *Notizia su un Diatessaron persiano*, R. 1943.

Lectiones quae in apparatu graeco et latino notatae sunt asterisco, possunt haberi aequae aut fere aequae probabiles ac lectio in ipsum textum recepta.

Saepius in apparatu notantur *textus parallelis*.

Textus *latinus* complures mutationes subiit. Primo orthographiam plerumque ad codices antiquos adaptavimus, secuti fere editionem factam ab A. Gramatica (Città del Vat. 1929) et modum scribendi, quem tenet collegium correctorum Vulgatae. Apparatus non leviter auctus est, maxime quoad veterem latinam. In evangeliis additae sunt lectiones quaedam ex quattuor codicibus Wirceburgensibus. Ubi textus latinus obscurus aut erroneus est, saepius in primo apparatu lectio vel versio alia proponitur. In apparatu aliquando occurunt lectiones asterisco notatae, ut insinuemus aliquam lectionem a quibusdam testibus latinis propositam melius respondere textui graeco. Accedunt in apparatu lectiones codicis Sarzanensis (j). Codicem e, palatinum, Tridenti conservatum et optime in officina Vaticana restauratum ex integro examinare potui. Directioni Castelli Boni Consilii pro maxima quam expertus sum humanitate summas gratias ago. Praefecto Bibliothecae Vaticanae eiusque adiutoribus pro tanta facilitate, qua accessum ad omnes codices permiserunt, quam maxime debitor sum. Monachii praefecti bibliothecae Status et Universitatis non minorem benevolentiam demonstrarunt.

In plagulis corrigendis indefesso labore et sollertia adstiterunt R. P. Adalbertus Metzinger O.S.B., Aemilius Bürgi S. J., alii collegae. Emendationes suggesserunt Rev. C. A. Phillips, R. P. Benno Gut O.S.B., St. Lyonnet S. J., Aem. de Strycker S. J., R.D.B. Wambacq O. Pr. Dubia de versionibus copticis non semel solvit J. Simon S. J.

Gratias denique agimus dirigentibus et operariis typographiae Pio X qui in hac editione paranda desideriis editoris inexhausta cum patientia obsecundabant.

## AD UNDECIMAM EDITIONEM

Quinta huius operis editione terminata, P. A. Merk die 3 aprilis 1945 Romae vita functus est. Editio sexta (1947) eundem textum reproduxit. Editionem septimam (1951) curavit P. S. Lyonnet S.J., octavam (1956) P.J. Smith S.J. In nona editione textus et apparatus ulterius emendatus erat et appendix apposita, in qua recensentur lectiones variantes alicuius momenti ex papyris his ultimis annis inventis (ad earum catalogum nostro tempori aequatum, cfr. p. 857). Additae erant aliquae lectiones ex Protoevangelio Jacobi (Prtev) secundum editionem criticam ab E. de Strycker curatam. Ad appendicem (sicut et ad lectiones cod. 1342 pro Mc 1-7) remittit asteriscus \* in margine apparatus appositus.

Regulariter non notantur nisi lectiones papyrorum quae a textu ipsius Merk discrepant (sed propter delectum in editione manuali necessarium et propter lacunas crebro occurrentes in testimoniis, conclusiones e silentio per se deducere non licebit). Attamen non raro etiam lectiones cum textu Merk concordantes explicite laudantur, praesertim ubi de lectione agitur alicuius momenti exegetici (v.g. Jo 1,13), vel supra pauciores testes fundata (v.g. Lc 8,6), vel ubi papyrus fragmentaria est (v.g. Mt 11,25). In his enim et similiibus casibus claritati potius quam brevitati consulere visum fuit. Si qua lectio tribuitur primae manui (*P<sup>66</sup>\**), vel correctori (*P<sup>66c</sup>*), et nihil aliud additur, tunc deducere licet lectionem alteram papyri concordare cum textu Merk (v.g. Lc 10,31 *P<sup>55</sup>\** legit κατα συγχρ.). *P<sup>66</sup> vid.* significat lectionem non esse certam. Testimonia aliorum codicum aliquando addita erant, quo melius pateret condicio textualis lectionis recensitae.

Editionis nonae praefationem P. C. M. Martini S.J. anno 1964 subscrispsit. Cum autem ab editione decima, quae nonam ad amussim reddit, numerus papyrorum haud exiguum incrementum habuerit, opportunum nunc videtur recentius editas papyros in hac nova editione includere. Ultimus papyrorum numerus in anteriore fuit *P<sup>76</sup>*. Iam vero in hac undecima editione, papyri a numero 77 ad 95 usque perpensa sunt, quod quidem eadem methodo eodemque criterio peractum est. Notetur tamen oportet alias duas iamdudum numero insignitas papyros deinde vulgatas esse, quarum una pars est *P<sup>70</sup>* (M. Naldini, Prometheus 1 [1975] 195-200), altera autem *P<sup>73</sup>* = *P* Bodmer 50 (C. P. Thiede, Museum Helveticum 47 [1990] 35-40). Variantes ipsarum lectiones — si quae sunt — hic quoque recensentur.

Romae, die 31 iulii 1991

JOSEPH O'CALLAGHAN S.J.

## PROLEGOMENA

Pauca de ratione huius editionis Novi Testamenti, de eius textu et apparatu iuvat praefari.

### I. DE TEXTU GRAECO

1. Ex inquisitionibus criticis ultimorum temporum videtur constare saeculo quarto ineunte duas praecipue exstisset formas vel recensiones textus graeci Novi Testamenti. Quarum altera appellari solet *Luciana* (vel antiochena, byzantina, Koine, K), quae in ecclesia graeca paulatim praevaluit et postea ex codicibus deterioris notae in editiones recepta longo tempore primatum obtinuit. In evangeliis repräsentatur codicibus A (in Evv) ΚΠΕΩV, aliis codicibus maiusculis et permultis codicibus minusculis, ex parte versione syriaca peſitta, harclensi, armenia, bohairica. Altera forma quae habetur in codicibus BSCA (in Apostolo) LΨ 33 1241, in aliis paucis minusculis, in versionibus copticis ex parte et in vulgata latina, dicitur *Hesychiana* (alexandrina, aegyptiaca, H). Praeterea habentur variae familiae codicum quae neutri ex his recensionibus attribui possunt, sed inter se aliquam ostendunt affinitatem: codices familiae 1 (Lake), fam. 13 (Ferrar), fam. 1424 et aliarum, quas H. v. Soden sub una recensione collocat, ab ipso *Palaestinensis* nomine (I) appellata. Eius auctorem habet S. Pamphilum martyrem, Eusebii magistrum. Neque negari potest aliqua Eusebiani textus cum illis familiae affinitas. Sed quaeritur, num textus sit ineuntis saeculi quarti, non potius saeculi tertii. Similis enim forma textus iam medio saeculo tertio Caesareae videatur fuisse in vigore (textus Caesareensis). Insuper dubitare licet, num omnes illae familiae deriventur ab una veri nominis recensione; nam vestigia huius formae iam vertente saeculo secundo inveniuntur non

solum in Palaestina sed etiam in Aegypto (Papyri Chester Beatty) et alibi. Multae ex his lectionibus nomine «occidentalium» notae sunt et ad saeculum secundum ascendunt. Ex parte a Tatiano derivantur, ex parte ipso sunt antiquiores. Tamen quoniam omnes illae familiae in haud paucis lectionibus conveniunt, sub una appellatione recensionis *Caesareensis* (**C**) colligi possunt.

*Codici D* vero, quem v. Soden testem principalem recensionis Palaestinensis habet, cum aliis quibusdam testibus tum in Evangelii tum in Actibus locum proprium adsignamus. Quamquam enim magnam affinitatem cum textu **C** ostendit, propria eius indoles non in illa reponenda est, sed potius in quibusdam additionibus et omissionibus. Allegamus hanc formam textus in Evangelii et Actibus secundo loco (**D**). In Evangelii similem textum exhibent potissimum vetus latina, syriaca, sahidica et lectiones asterisco notatae et marginales syrae harclensis. In Actibus accedit codex Laudianus (**E**) et omnes fere codices minusculi, quos v. Soden sub littera **Ib** et **c** notavit, praeterea aliqua fragmenta papyracea, Ireneus et Ephraem.

Alias familias a v. Soden recensioni **I** adscriptas (**Ix** et **I<sup>r</sup>**) ad **K** trahimus, utpote quae perpaucas tantum lectiones cum **C** communes habent.

*Recensio Luciane* (**K**) plerumque a criticis non sine ratione inferioris notae habetur, quia lectionibus harmonisticis infecta est et eius modus dicendi magis linguae litterariae conformatus censetur. Nihilominus hodie constat in ea multas lectiones antiquas superstites esse, id quod ex papyris Chester Beatty comprobatur. J. H. Vogels recensionem Lucianeam aliis superiorem habet et in ea magni facit imprimis Vulgatam Hieronymi, utpote qui asserat se antiquos adhibuisse codices (graecos). At altera ex parte etiam constat Hieronymum in corrigenda vetere latina mul-

ta intacta reliquisse. Ostendi enim potest certos codices veteris latinae saepe inter se contra Vulgatam convenire et eosdem codices aliis in locis cum Vulgata eandem lectionem tueri. Non est autem verisimile omnes illos codices in his lectionibus aequa a Vulgata dependere. Quapropter in diiudicando valore critico Vulgatae magna circumspectione opus est.

2. In *textu constituendo* partes primarias tribuimus recensioni Aegyptiacae (Hesychianae) et Caesareensi. Minime tamen consentimus iis, qui in una aliqua forma (potissimum Hesychiana) textum primitivum se invenisse putant. Multo minus ulli codici singulari tantam tribuimus auctoritatem, ut eum tamquam ducem sequamur, cum manifestum sit singulos codices suis laborare defectibus et optimum quemque saepe deformatum esse. Hoc demonstrari potest vel ex ipso codice Vaticano, cuius librarius tam saepe in scribendo aberravit committendo haplographias, ditto graphias, similia, ut iure quis suspicetur brevitatem dicendi, quae in hoc codice tantopere laudatur, non primitiae eius indoli adscribendam, sed potius ex omissionibus (haplographiis) repetendam esse. Quapropter primo unumquemque codicem secundum suam propriam indolem examinare oportet.

Sed ne ex eo quidem, quod e. g. codex Sinaiticus ad Vaticanum accedit, iam de genuinitate alicuius lectionis constat, cum testimonium utriusque codicis plerumque solum unum sit. Conveniunt enim hi duo codices toties in lectionibus erroneis, ut hoc non possit explicari nisi ex communi fonte. Neque testimonium aliorum quorundam codicum qui saepe cum Vaticano congruunt nimis urgeri potest, cum non sint omnino independentes. His adnumeramus codices 1739 ( $\alpha$  78), 6 ( $\delta$  356), 1908 (O $\pi$ <sup>103</sup>), 424<sup>c</sup> (0<sup>12</sup>), qui omnes simul cum Vaticano exhibent fere textum Originis, saltem in epistulis.

3. *Principia* in textu constituendo et lectionibus eligendis secuti sumus eadem quae hodie passim admittuntur et enuntiantur regulis quae omnibus notae sunt. Regula generalis recte enuntiari potest his fere verbis: Illa lectio praeferenda est, quae magis respondeat contextui et indoli linguae, ideis auctoris, et ex qua aliae lectiones facilius derivantur. Sed quoniam de harum regularum practica applicatione alii aliter sentire possunt et revera sentiunt, textus uniformitas vix umquam obtinebitur.

a) *Lectio brevior* per se est probabilius. Quapropter lectiones pleniores et ad similes locos conformatae, quae in omnibus libris, potissimum in evangeliis, iam saeculo secundo invaluerunt, recte respuuntur. Nihilominus quaeritur, num influxum harmonisticum vel textum amplificatum admittere oporteat ubicumque ab aliquibus editoribus statuitur. Nobis hoc non semel admodum incertum neque sufficienter probatum esse videtur.

Westcott-Hort et B. Weiss secuti regulam de lectione breviore praeferenda non solum textum magis concisum codicis Vaticani fere semper sequuntur, sed etiam codicem Bezae (D), si breviorem lectionem exhibet, saepius contra Vaticanum et alios fere omnes recipiunt. Vocant hos textus lectiones *occidentales non interpolatas*.

Qua in re nobis videntur a recta via saepe aberrasse. Nam principium illud de lectione breviore, quamvis in se consideratum sanum esse videatur, si ad codices nostros applicatur, centies exceptiones admittit, immo non pauci librarii multo magis proni sunt ad textus omittendos quam ad addendos. Sufficit inspicere codicem Sinaiticum, qui tot omissionibus deformatus est, ut eius testimonium hac in re, nisi aliis testibus fulcitur, nullius fere sit auctoratis; neque multo aliter iudicandum est de codicibus saeculi tertii recens inventis, de ipso codice Bezae et eius

affinibus. Nam qui examinat apparatus maioris aliquius editionis facile videbit, quam frequenter codex Bezae alioquin tot additamentis amplificatus cum paucis aliis, vetere latina et syriaca praecipue, textum breviorem exhibeat, qui tamen ab omnibus editoribus tamquam erroneus diiudicatur.

Et generatim regula de textu breviore praeferendo exceptionem patitur, si verba omissa ex parte similia vel eadem sunt cum iis quae praecedunt aut sequuntur. Quod si obtinet, nisi rationes graves aliud suadent, agitur de haplographia, uti dicitur. Neque semper in his rebus subtiles quaestiones movendae sunt, quibus rationibus ductus aliquis librarius textum omiserit, cum toties nulla alia causa fuerit nisi inadvertentia vel fatigatio. Accedit quod orientales modum amant loquendi latum et diffusum, cuius rei exempla plurima ex evangeliis, epistulis, apocalypsi afferri possunt, ita ut etiam ex hac parte lectio prolixior saepe ut primitiva haberi possit. Sed patet non omnia eadem pensanda esse trutina neque ex uno principio omnia esse resolvenda, neque negamus multa consulto omissa esse. Nobis autem omnino persuasum est auctorem recensionis aegyptiacae in hac re iustos transgressum esse fines.

b) Similia valent de applicatione alterius regulae, de *lectione difficiliore*. Facile quidem patet in lectionibus obscurioribus, inusitatis correctiones varias esse tentatas. At non ideo lectio quae in contextu sensum aptum vix exhibit prae altera planiore eligenda est. Ita J 10,29 lectio δέδωκέν μοι πάντων μεῖζόν ἐστιν, quae a pluribus interpretibus et editoribus non mediocris nominis admittitur, nobis videtur relinquenda.

c) Inter criteria critica suum sibi locum vindicant etiam *interna*. Atque revera propter rationes internas unum vel alterum textum recepimus, qui plerumque in editionibus criticis desideratur. Ut exemplum afferamus, Mt 18,11 hodie omitti solet, neque

negamus auctoritatem testium huic omissioni favere. Nihilominus textum propter versum 14 potius retine-  
 [ ] re placuit. Alibi textum uncis inclusimus, quando non omnis dubitatio excludi potuit. Pluries textum damus nulla apposita parenthesi, aut lectionem in apparatus reiecimus quae non minus probabilis est quam lectio admissa in textu, e. g. Ap 2,1 et in locis parallelis, ubi disputatur sitne legendum τῷ ἐν τῇς ἐν. Priorem lectionem meliorem habemus, at quia testes qui eam propugnant adeo fluctuant, alteram damus. Ceterum in hac editione complures lectiones in apparatu (graeco) asterisco (\*) notamus, quo significatur aliquam lectionem aequa aut fere aequa probabilem esse ei quae in textu legitur.

## II. DE APPARATU CRITICO

Iam de *apparatu critico* dicamus. Qua in re tria videntur tractanda: de delectu lectionum variantium, de testibus, de ordine quo testes allegantur.

1. *Lectionum delectus* in editione manuali semper habet aliquid difficultatis, cum quaeratur, quid in tanta copia eligendum sit, quid reiciendum, et alii alia desiderare soleant. Multa ex iis quae collegeramus omisimus, ne volumen nimis excresceret. *Primo* autem loco illos textus consideravimus, qui maioris sunt momenti vel de quibus controversiae aguntur. Deinde illas lectiones selegimus quae propter antiquitatem testium maiore attentione dignae esse videbantur; *exinde* illas quae a certis quibusdam codicibus aut familiis exhibentur, ut hac ratione saltem aliquis detur *conspectus historiae textus* et propagationis variarum lectionum et testium inter se relationum. Singulorum vero codicum lectiones tantum praecipuas adnotamus, cum impossibile sit in editione minore omnia afferre, neque utile sit omnia librariorum menda commemorare. Proinde ne Vaticani quidem aut

Sinaitici aut codicis Bezae lectiones variantes omnes in nostra editione inveniuntur. Praeterea permultas correctiones omittimus, illas praecipue quae in codices SCD et alios ex textu antiocheno passim relatae sunt.

2. *Testes. a) Graeci.* Fere sunt illi, quos H. von Soden in suo apparatu allegare solet. Accedunt aliqui recentius inventi.

Apparatum *Apocalypseos* ad magnum opus a H. G. Hoskier editum (London 1929) accommodavimus simul ratione habita recentiorum investigationum. Textum mixtum post recensionem H ponimus, deinde sequitur textus Oecumenii, Andreeae, Aretae, denique Koine. Placet hic notare novam familiarum distinctionem codicibus omnibus denuo examinatis fieri et ex parte iam propositam esse a J. Schmid (cf. Biblica 17 [1936]).

*Codices unciales designamus* litteris maiusculis usitatis, omittentes hebraicas quibus plerumque numerales substituimus. Codex *Sinaiticus* nobis cum aliis recentioribus est S, codicem autem ε1027 qui antea littera S signabatur cum R. Gregory 028 appellamus. *Minuscules* vero codices et fragmenta papyracea numeris a Gregory et E. von Dobschütz electis et hodie communiter receptis exhibemus.

Complures codices catalogi nostri utpote saepe minoris momenti, placuissest omittere, eos tamen admisimus quando cum aliis brevi signo afferri poterant aut si frequentius cum paucis testibus in lectionibus gravioribus conveniunt.

b) *Ex versionibus antiquis* quae hodie magna ex parte in editionibus criticis evulgatae sunt, constanter allegantur vetus latina, vulgata, syriacae versiones, armenia, copticae, in evangelii etiam georgica. Armeniam et georgicam versionem ea de causa allegamus, quia saepe cum Tatiano, vetere latina et syriaca versione concordant, in hac re aliquomodo secuti recentiorum studia eaque continuantes.

De versionibus *syriacis* pauca notanda. *Peshittam* allegamus secundum editionem a G. B. Gwilliam paratam syp (1905-20), epistulas catholicas minores et Apocalypsim se-

cundum editionem J. Gwynn (1909, 1897), quam appellamus *syf*; *veterem syriacam* ex ultima editione A. Smith Lewisyv is (1910), hinc inde adscita editione phototypica (A. Hjelt syi 1930); versionem *syropalaestinensem*, quam *syi* appellamus, in evangeliis damus secundum editionem Lewis-Gibson (1899), in aliis libris ex variis editionibus oportebat haurire lectiones, cum nondum habeatur editio, quae omnia fragmenta collegerit. Textum *harclensem* hausimus ex editione J. White et ita allegamus, ut *syh\** sit nobis lectio ipsius textus, si ei respondet in margine alia lectio; ipsam marginalem *syh<sup>m</sup>* lectionem significamus cum *syh<sup>m</sup>*; *syh<sup>+</sup>* est lectio textus asterisco notata. Eiusmodi lectiones frequentius notavimus, cum dent aliquod indicium codicum qui praeter textum communem in Apostolo adhibiti sunt.

Ordinem in allegandis syris hunc tenemus: *syc(ureton)*  
*syc* *sys(inait.)* (utraque simul *syv*) *syp* *syi* *syh*; *sy<sup>3</sup>* est *syv* + *syp*  
*sys* + *syh*, *sy<sup>4</sup>*, si praeterea accedit *syi*.

*Versionis armeniae* editio critica omni ex parte absoluta  
*ar* nondum habetur; sed cum lectiones variantes non adeo multae nec discrepantes sint, licebat sequi in plerisque editionem a Zohrab paratam (Venetiis 1805) quae a recentioribus aliquomodo emendata est. Praeterea in *evangeliis* adiumento erant Macler (Le texte arménien de l'Évangile d'après Matthieu et Marc, Paris 1919), editiones phototypicae codicuum Mosquensis Instituti Lazarew (anni 887) et codicis Etschmiadzin 226 (anni 989), collationes codicum Mus. Britann. Addit. Ms 21932, Paris arm. 15 et 16. Tubing. arm. 1, Vatic. Chigi arm. 1, duo codices bibliothecae Mechitaristarum S. Lazzaro, excerpta e codice antiquissimo Hierosolymitano S. Iacobi, et fragmenta permulta. Lectiones cod. Mosquensis et Etschmiadzin afferuntur signo *ar<sup>m</sup>* et *ar<sup>e</sup>*. Ceterorum librorum codices pauciores vidi, eosque fere omnes recentiores excepto codice Paulino Havniensi et fragmentis Paulinis Mechitaristarum Vindobonensium. Sed haec omnia satis accedunt ad textum typis vulgatum. *Apocalypsis* exibetur secundum F. C. Conybeare (Lond. 1907) et Fr. Murad (Ierus. 1911, in 5 ed. *ar<sup>1</sup>*, et Zohrab, a quo de-*ar<sup>2</sup>* pendet editio Societatis Bibl. Brit. *ar<sup>2</sup>*, et sec. Nerson *ar<sup>3</sup>* Lampr. (Murad 1911) *ar<sup>3</sup>*.

*gg* *Georgicam* versionem evangeliorum examinavit Fr. Zorell S. J. et quidem in Mt et Mc ex editione Benešević (Pe-

trop. 1909/11) et ex editione R. P. Blake (Mc Mt, Patrol. orientalis 20, 24, Paris 1929, 1933), in L et J ex codice Vaticano iberico 1, sed hic codex magis ad textum recentiorem accedit.

*Copticas versiones* (co), sahidicam (sa) et bohairicam (bo), post editiones a G. Horner paratas supplevimus in Actuum libro et epistulis S. Pauli ex H. Thompson (1932); eiusdem editionem versionis *subachmimicae*, quam appellant, evangelii S. Iohannis (Lond. 1924) adiecimus et brevitatis causa *ach* scribimus. Textus vicinus est sahidico. *Versionem aethiopicam* interim omisimus, cum nondum adsit editio critica et constet codices antiquiores textum satis discrepantem ab editionibus hucusque factis continere.

c) *Tatiani diatessaron*, quod hodie magna ex Ta parte restitui potest, propter eius antiquitatem frequenter allegamus. Praeter textum arabicum laudamus commentarium S. Ephraem (Ef, si vero Ta arabicus et Ef concordant scribimus Ta<sup>+</sup>); accedunt harmoniae neerlandicae (Ta<sup>n</sup>) ex cod. Leodiensi (Ta<sup>1</sup>) et Stuttgartiano (Ta<sup>s</sup>); harmoniae italicae Ta<sup>i</sup> (nuper editae ab A. Vaccari et V. Todesco C. Vat. 1938) in duplii sua forma, veneta (Ta<sup>v</sup>) et toscana (Ta<sup>t</sup>).

Quoniam textus arabicus Tatiani multas lectiones communes cum syp habet, quaeritur num hae lectiones Tatiano attribui possint an potius syp propriae sint. Primo notamus Tatianum frequenter a syp discedere et proinde in multis a syp esse independentem. Deinde ubi Tatianus et syp conveniunt, saepissime accedunt syv, vetus latina, armenia, georgica versio, ex codicibus graecis DWΘΦ vel alii codices, qui a syp sunt independentes. Unde patet has lectiones esse syp antiquiores et recte Tatiano attribui. Quam frequenter hoc accidat, ex apparatu nostro facile agnoscitur. Ceterum minime infitiamur textum arabicum in multis a forma primitiva deficere. Syp a nobis allegatur, etiam si de textu Tatiani iam aliunde constat, non ut lectio tatiana ex ea demonstretur, sed ut ostendatur quam frequenter syp conservaverit lectiones antiquas.

Si Tatianus cum syp contra syram veterem vel alios testes concordat, Tatianum plerumque omittimus, nisi forte in casu particulari, in quo hi duo testes soli vel fere soli con-

veniunt. Si syra vetus vacat et Tatianus cum syp lectionem insolitam fert, eum allegamus, quia probabile est, talem lectionem esse syp antiquorem, cum constet syp in permultis a syra vetere et Tatiano dependere et quia fere semper in eiusmodi lectionibus alii testes, e. g. vetus latina, DΦ accedunt.

A versionibus allegandis plerumque abstinemus, si versionis indoles id postulat, sive quod aliquando vocem omittere solet vel addere, sicut in syriacis versionibus obtinet, et aliquatenus etiam in copticis et armenia, sive quod lingua ipsa certam rationem interpretandi exigit.

*d) Scriptores ecclesiasticos* copiosius addimus tum quia saepe aetate excellunt, tum quia — aliter ac in plerisque codicibus — de eorum aetate et patria constat. Ut lectionum pervulgatio innotescat auctores variarum provinciarum afferimus. Si vero agitur de lectionibus maioris momenti, testimonia cumulavimus, ut demonstremus, quo usque aliqua lectio fuerit propagata.

*S. Irenaei* textus, ex quo versio armenia libri IV et V adv. haer. innotuit, melius agnoscitur et fere semper ex versione armenia cum certitudine determinari potest. Quapropter plerumque eum allegamus tamquam textum primitivum, *I<sub>p</sub>*. *I<sub>p</sub>*. Idem signum adhibetur, si fragmenta graeca conservata sunt, aut si ex contextu de lectione graeca constat. Si Irenaei *Ir* textus ex sola versione latina habetur, signatur *Ir*, si vero latina lectio a graeca vel armenia differt, *Ir* scribitur. Similis *Ω<sub>p</sub>* distinctio in *Origene* adhibetur: *Ω<sub>p</sub>* significat traditionem *Or* graecam, *Or* versiones latinas, quae saepe textum adaptaverunt. *Ω<sub>p</sub>* in apparatu epistulae ad Romanos omittitur, si *Origenes* eandem lectionem tuetur ac codex 1739 (α 78), cuius textus ex *Origene* derivatur. Commentarium *S. Ef Ephraem* in Actus Apostolorum passim exscribimus, cum sit eximius testis veteris syriacae versionis. Testimonia e commentario in epistulas Paulinas minus certa sunt, cum textus armenius aliquomodo sequatur versionem armeniam epistularum Paulinarum. Immo interpres armenius pluries videtur ipsum commentarium ad versionem armeniam textus biblici

accommodasse. Quae signo E<sub>φ</sub> traduntur, ex voluminibus E<sub>φ</sub> graecis editionis romanae S. Ephraem desumpta sunt eaque plerumque non sunt doctoris syri.

Plura placuisset apponere ex operibus *Aphraatis* et ex *Libro Graduum* recenter editio (M. Kmosko, Patrol. syriaca III, Par. 1926), sed textus Apostoli videtur nimis incertus aut peregrinus esse, ita ut speciali inquisitione opus sit; in manuali autem editione non est locus haec tractandi.

In universum autem de allegationibus scriptorum observare iuvat, eas caute esse accipiendas, cum non semper ad litteram allegent, sive quod — maxime in initio citationum — eas contextui accommodant sive quod aliqua omittunt, quae ad finem propositum minus faciunt. Sed si longiores textus exscribunt, si ex voce argumentum desumunt, si de lectionibus variantibus loquuntur, dubium de lectione esse non potest. Si autem in lectionibus sibi non semper constant, sed alibi alias lectiones sequuntur, hoc significatur apposita lineola in hunc modum: Aug<sup>l</sup>. Si loquuntur de codicibus, qui aliam lectionem ab ipsis non receptam tueruntur, apponitur littera c(odices), e. g. Hier<sup>c</sup>.

Hier<sup>c</sup>

3. De *ordine*, quo testes allegantur. Generatim sequimur ordinem ab Herm. von Soden electum. Distinctio quidem sodeniana in recensiones et familias non in omnibus approbari potest, et collationes codicum saepe sunt aut imperfectae aut erroneae. Sed nefas esset ea quae v. Soden tam ingenti cum labore collegit et quae fere primus in distinguendis codicibus perfecit omnino neglegere. Atque revera recentiorum studia plerumque confirmant classes sodenianas. Multi sane codices quos von Soden alicui classi attribuit sunt codices indolis mixtae, e. g. codices ΨLP in multis a textu Hesychiano recedunt. Etiam in ipsis classibus non raro ordo minus aptus est. Attamen manifestum est quosdam codices in certis lectionibus inter se convenire et ab aliis distingui. Hoc autem sufficere videtur, ut recte statuatur aliqua familia,

etiamsi hi codices in aliis lectionibus inter se discordant. Commodum practicum in admittendis familiis (sodenianis) in eo est quod servato ordine determinato lectores facilius codices memoria retinent et in apparatu multi codices paucis signis notari possunt.

De pluribus codicibus minusculis quos von Soden recensioni I attribuit quaeri potest, num eorum lectiones ex ipsa hac recensione deriventur an potius alia via conservatae sint, cum saltem ex parte iam saeculo tertio in Aegypto notae fuerint, e. g. lectiones permultae codicis 157 (ε 207). Sed quoniam certum est Palaestinam multum valuisse in textu propagando in regiones septentrionales et occidentales, probabile est eiusmodi lectiones revera a recensione Palaestinensi exortas esse, nisi forte agitur de codicibus qui indelem mixtam prae se ferunt, ut e. g. 372 (ε 600) aut 1604 (ε 1353) aut 1342, qui similiter ut *P<sup>45</sup>* lectiones codicum B et D proprias conservaverunt.

Codices qui ex alio nobis noto descripti sunt, v. g. E epistularum Paulinarum, omittuntur, nisi forte archetypus D deficit. Ubi non habetur immediata dependentia ut in Paulinis G et F et textus in omnibus fere concordat, codex F omittitur, nisi habet lectionem propriam. In hac ergo editione Gs non est G et F, sed G 917. Eadem quaestio recurrit in codicibus veteris latinae f et l, qui multas lectiones cum vulgata communes habent. Si hae lectiones occurrunt in sectionibus, quae fere ex integro exhibent textum vulgatae, hi codices nullam merentur considerationem. At alia est ratio, si iidem codices cum paucis dumtaxat codicibus vulgatae congruunt. Deinde ad codices f l saepe accedunt alii veteris latinae testes, v. g. a b c e f f<sup>2</sup> i q r. Quo plures autem codices aliquam lectionem tuentur, eo minus est probabile hos omnes eodem loco a vulgata pendere. Accedit quod iidem codices frequenter cum f et l in suis lectionibus contra vulgatam concordant. Eo magis supponere licet multas horum codicum lectiones non ex vulgata derivari, sed ab ea esse receptas.

Aliquos autem codices alio modo ordinavimus, cum indeles codicum hoc postulare videretur.

124 (ε 1211) ad finem totius classis C. reiecimus, cum saepissime solus ab aliis omnibus discedat. In codicibus

Paulinis codices 1739 6 424<sup>e</sup> 1908, qui maiorem inter se et cum B-A affinitatem habent, immediate post A leguntur, similiter omnes codices Ca<sup>3</sup> a 1319-218 (8180-8300) ad finem relegantur. Codex W (ε014), qui triplicem saltem formam exhibet, post recensionem aegyptiacam ante codicem D legitur. Praeterea ab initio familiarum damus codices qui integri aut fere integri sunt et ex integro examinati sunt. Alia commoditatis causa mutavimus, ut numeros millenarios ab initio ex parte removeremus. Codices mutili et fragmenta in fine familiarum ponuntur, etiamsi forte aliis codicibus sunt antiquiora. Plura mutare non expediebat, quia forma textus in iisdem codicibus saepe non est constans, et quia aliquos codices nondum licuit denuo examinare.

*Ordo codicum* idem est qui in catalogo II codicum graecorum (pag. 38\*-40\*) legitur. *Versiones* quoque certo ordine tradimus, et quae inter se aliquomodo affines sunt, secundum earum affinitatem ordinamus, primo loco latinas, sequuntur syriaceae, armenia, georgica. Ultimum locum tenent versiones copticae.

De modo enumerandi codices in apparatu. Bs, Bss, Bsss significat codicem B et eum qui in serie immediate sequitur, vel duos aut tres codices immediate sequentes. Br (id est reliqui) codices omnes, uno fortasse excepto, totius recensionis cuius B est caput. 917<sup>s</sup> = codices classis C<sub>α</sub>; 1<sup>r</sup> = codices classis C<sub>η</sub>; 1<sup>s</sup> = codices C<sub>η</sub><sup>a</sup>, id est familiae unius tantum huius classis.

Si post litteram vel numerum, e. g. 348, legitur rel., indicatur ab hoc codice omnes, vel fere omnes usque ad finem catalogi nostri simul cum testibus recensionis K in lectione convenire. Ut ex apparatu appareat, quam late aliqua lectio propagata fuerit, quam plurimas classes et familias codicum allegamus, etsi non omnes codices singularum familiarum adscribere possibile sit. Saepius placuisset notare certos codices minusculos, sed propter spatii angustiam eos omisimus.

B-892 significat: omnes codices recensionis aegyptiacae usque ad 892 inclusive, B-235: omnes codices usque ad ultimum codicem familiae C<sup>o</sup> et ita porro.

Si testes alicuius lectionis in textum receptae pauciores sunt, plerumque hanc lectionem in apparatu primo loco ponimus cum suis testibus, alteram deinde addimus apposita

voce rel., id est alii codices omnes, qui in nostro catalogo continentur, cum recensione K, e. g. Mt 1,24 εγερθ. BSC\*Z 399 1<sup>r</sup> Ep] διεγερθεις rel.

- > *Omissiones* indicantur signo >, aut non raro signo ^,
- ~ quod ponitur post vocem (1^2), e. g. Mt 10,19 λαλησητε 1^2 LD 954 k: librarius a voce λαλησητε priore transiliit ad alteram in eodem versu (vel in versu cuius numerus additur) occurrentem (homoeoteleuton) omittendo intermedia.

Si *complures* lectiones variantes notantur, distinguuntur virgula, et plerumque illa praecedit quae minore numero testium fulcitur, maxime si secunda a plurimis testimonium habet. Mt 14,21 ωσει] ως 33 ΔDs 1 1604 al., > W 0106 lat syvp co: testes primo loco allegati habent ως, qui secundo loco leguntur omittunt vocem ωσει vel ως. Si post numerum versū legitur > nulla voce addita, e. g. Mt 10,38, testes qui sequuntur omittunt totum versum.

Mc 15,39 ουτως BSΨLs] κραξας WΘ 565 1542 sys ar gg, + κραξας rel., id est codex W ... habent κραξας loco ουτως, reliqui addunt hanc vocem post ουτως.

Si alicui additioni ab aliquibus codicibus alia verba *adduntur*, notantur signo] + e. g. J 3,6 εστιν<sup>2</sup> + οτι ο θη πνα εστιν εαffjrz syc] + κ. εκ θη εγενθη aj syc; si vero aliqui codices loco additionis prioris alias habent, ponitur virgula aut], e. g. A 18,28 δημοσια + διαλεγομενος και D 614ss, και κατ οικον E.

Mt 1,23 καλεσουσι] -εσεις D ... id est καλεσεις, pars prior facile suppletur, et ita in similibus.

Aliter Mt 26,51 επαταξεν... και αφ.: verbis intermediis punctis indicata nullam continent lectionem variantem, sed sola verba notata, loco παταξας... αφειλεν. Loco punctorum saepe sola virgula ponitur.

L 22,47 ηγγισ. – αυτον: loco totius incisi quod his verbis includitur, alii testes habent alteram lectionem.

- ~ *Inversio* verborum indicatur signo ~.
- ( ) Testes *parenthesi* () inclusi cum aliis quoad substantiam convenient, sed in levioribus discrepant. Si in lectione ipsa vox aliqua uncis includitur, non omnes testes eam tradunt.

Aliquoties legitur in apparatu verbum, cui non respondeat eadem prorsus forma in textu, e. g. Ap 13,12 εποιει<sup>1</sup>, dum in textu solum legitur ποιει. Sensus est: verbo ποιει quod in textu legitur, in aliis testibus respondent forma εποιει.

Saepius lectioni in textum receptae adduntur in apparatu aliqui tantum testes patristici vel fortasse unicus, aut aliqua tantum versio vel codex, e. g. 1 C 2,13 πνευματος Mn Cl Ωρ Ep Ef] + αγιου P 104s 88s 623-263 206 rel. Ex testibus qui additionem αγιου habent patet omnes fere codices in catalogo nostro antecedentes i. e. codices recensionis H, familiae Ca<sup>1</sup> et aliquos familiae Ca<sup>3</sup> omittere αγιου. Testes patristici allegantur, quia de eorum testimonio non constat nisi explicite laudantur. Idem valet, si agitur de codicibus mutilis. E. g. L 6,37 και ου<sup>1</sup> P<sup>45</sup>] ενα Mn Ta ΨWD 348 etc. Pro lectione in textum recepta P<sup>45</sup> explicite allegatur, quia fragmentum est. Vel: 2 C 10,10 επιστολαι μεν BS\*33 326s H r] ~ I rel. Codex I explicite laudatur, quia est valde mutilus.

Testibus *latinis* (lat vi) in evangeliis saepe additur (-a vel -e vel -a e), quo indicatur omnes testes exceptis his duabus vel uno stare pro lectione notata. Codices *vulgatae* in apparatu graeco rarius notamus. Si vero occurrunt, adhibentur abbreviationes apud C. Tischendorf et alios usitatae, am cav dubl fu harl (vel z) tol (cf. catalogum codicum vulgatae pp. 42\*-43\*).

Deinde in apparatu aliquae occurrere solent *abbreviationes*, quae plerumque facile intelleguntur; si e. g. articulus abbreviatur, ex substantivo sequenti nullo negotio suppletur. Nomina aliqua sacra usitatis compendiis scribuntur omissa lineola superposita: Κς Θς Ις Χς Ιηλ Ιλημ πνα.

Reliquum est ut pauca dicamus de *ratione scribendi*. Cum nullus codex aptam rationem tradat neque ullo modo de ipsorum sacrorum auctorum ratione scribendi constet, praesertim cum plerumque amanuensibus usi sint, tenemus generatim orthographiam grammaticorum admittentes tamen quasdam formas hellenisticas, quibus aliae possent addi.

### III. DE TEXTU LATINO

Textum *latinum* damus secundum editionem Sixto-Clementinam anni 1592 mutata tamen orthographia et sententiarum versuumque distinctione. A textu tantum recedimus, si agitur de aperto mendo. In apparatu critico eas potissimum lectiones notavimus quae maioris momenti esse videntur, sive quod textum a Wordsworth-White electum confirmant, sive

quod cum vetere latina versione conveniunt, sive quod relationem cum codicibus graecis manifestant. Omnes lectiones variantes codicum amiatini et fuldensis adnotare non placuit neque licuit; variantes orthographicas codicum raro afferimus, maxime si agitur de constanti ratione scribendi qua codices antiquiores a vulgata clementina differunt. Praeterea complura omisimus quae frequentius recurrunt; non semper notamus variantes *hic vel is et ille*, nam iidem codices maxime fluctuant et si codex uno loco scribit *is*, ubi alter habet *ille*, fortasse in sequenti versu contrarium obtinet. Codices in libris, qui a Wordsworth-White iam editi sunt, fere eosdem sequimur, quos angli editores adhibuerunt, paucis tantum codicum signis mutatis.

Omisimus fragmenta Ultraiectensia evangelii Mt et Jo littera U signata, et eâdem littera designamus codicem Vaticanum latinum 7223, veteris latinae in evangelio Mt (notum ut h), in aliis vero evangeliis vulgatae editionis (saec. 6). S nobis est codex sangallensis 1395 (s. 6 ineuntis) a Turner editus (1931) et a Paul Lehmann et Albano Dold O. S. B. novis fragmentis auctus.

Codices secundum familias ordinamus, ita ut primo loco ponantur illi qui meliorem formam textus exhibent: amiatinus, fuldensis et affines, cui familiae in evangeliis adnumeramus etiam codicem S, a Turner fortasse nimis aestimatum. Plerumque textum sat bonum habet, sed non semper primae familiae suffragatur et in ultimis partibus magis lectiones veteris latinae retinuit. Codex U generatim cum familia gallica concordat, sed saepe lectiones optimas habet. In ipsa familia maiorem affinitatem prodit cum codicibus IJG, omnibus autem videtur esse vetustior, uno fortasse excepto J, foroiuliensi, Italiae superioris.

